



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 5. Rationes pro Galliarum Rege

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

## §. IV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1519.*Franciscus I. imperium aucupari  
cupidus.*

Jamjam vivente Maximiliano, quo sua vota tenderent, haud obscure indicabat Carolus; ejus tamen consilia certe non pauca, quæ intervenerant obstacula retardabant; semper enim Franciscus I. Galliarum Rex occultis artibus eidem adversabatur. Nec tamen propterea Carolus animum despondit, spe fretus, mortuo Cæsare magis expeditam fore semitam ad imperii coronam, quam tamen adhuc difficiliorem experiri cogebatur; Belcar. lib. 16 n. 9. quippe Franciscus I. jam aperte Caroli Raynald. ad ann. 1519. juribus oblectatus, se ejus æmulum declarabat, utque eligentium suffragia ad se pertraheret, Francofordiam, ubi electio fieret, Bonnavetum ablegabat, dato negotio, ut S. I. Electoribus quadringenta aureorum millia offerret. n. 7.

## §. V.

*Rationes pro Galliarum Rege.*

Eo tempore Carolus adhuc in Hispania hærebat, Franciscus vero, cum magis vicinus esset, maturando negotio aptior erat, ejusque consiliis multæ rerum vicissitudines favere videbantur: Præclara enim fortitudinis suæ

D d 5 speci-

Secul. XVI. A. C. 1519. specimina edidit, ac explorata erat ejus in bellis gerendis prudentia, ac fortuna

cunctis ejus conatibus semper secunda. Accedebat insuper spes potentis auxilii, quod Germania adversus externos Turcarum insultus, atque intestinos Hæreticorum tumultus sibi a Rege polliceri pos-

*Extat tom. 3  
rer. Germ. ex  
edit. Freher  
p. 138.*

set. Equidem, qui Gallis favebant, ejusmodi rationum momenta tota ingenii acie exaggerare conabantur, ut Galliarum Regi imperii curam deferri suaderent. Verum ipsimet hi prætextus futuræ ejus electioni obstacula creabant: Verebantur enim S. R. I. Electores, ne Galliarum Rex aucta potentia Germaniæ Principes opprimeret, cum ex adverso talia a Carolo pertimescendi locus non esset; fuit enim Princeps ingenii non admodum singularis, ac exiguæ insuper fortitudinis, (\*) proin minus formidabilis. Præterea Francisci Regis electioni obstabat, quod ex gente Germana oriundus

(\*) Palatius in vita Caroli V. fol. 328. Carolum appellat, *excelsæ spei, fortunæque adolescentem, Principem uti ingenio, ita animi magnitudine nemini secundum.* An igitur æqua sit Continuatoris censura ex hoc scriptore, cunctisque, qui Caroli vitam elucubrarunt, ac præcipue ex gestis, quæ ipse Continuator in successu Historiæ suæ enarrat, Lector judicabit.

dus non esset. His tamen insuperhabitis Bonnivetis Electoribus suggererat, quod Hispani, si Carolus eligeretur, adeo diuturnam Regis sui absentiam a regno ægerrime laturo essent, ejus vero ditio- nes ab imperio nimium distarent, proin assiduis tumultibus exponerentur, aliunde Carolus rei militaris inexpertus esset, ac Cæsar, a quo educatus in omnibus semper dependisset, suum eidem genium, ac præcepta instillasset.

sæcul. XVI.  
 A.C. 1519.

§. VI.

*Poloniæ, Hungariæ & Bohemiæ Reges  
 a Gallo sollicitati.*

Ut vero hisce rationibus majus auctori- tatis pondus accresceret, Bonnive- tus S. R. I. Electoribus amplissima elar- giebatur munera, saltem auro illorum suffragia coempturus. Post hæc Fran- ciscus I. his necdum contentus, Lagar- dum de Gaignes Alverniæ Nobilem in Poloniam, Hungariam, & Bohemiam ablegabat, ut horum Regnorum Reges induceret, ne suæ ad Imperium electioni adversarentur. Verum Gallus surdas pulsabat aures; objectabant enim hi Prin- cipes pacta, quæ Ludovicus junior Hungariæ ac Bohemiæ Rex cum Domo Austriaca olim inierat, vi quorum se Re- gni

gna